

Initium à Deo concilium pro Incarnationis mysterio, Angelis ad-

quentis de ipsamet Incarnationis die. Evocatur (inquit) statim celestis ille conventus, & juxta Prophetam inii Deus concilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, & elementorum renovatione: ac illis stupentibus & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, statim de thesauro divinitatis MARIE NOMEN evoluitur; & per ipsam, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur; ut sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur Epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur. Missus est ergo Angelus Gabriel, &c. En tibi evocatum à Deo Angelorum omnium conventum, & supremum concilium; in cuius medio fermocinantes inducit nosfer Siracides Jesum, & Mariam, qua die ex Matre Virgine carnem assumpsit æternum Verbum. Unde Tigurina pro illis; & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, vertit, os suum aperiet in concilio Altissimi. Et licet Deus, utpote omniscius, nequaquam alio à se concilio indigeat; Angelos tamen in concilio evocavit, ut consilium suum, ac deliberationem super opere Incarnationis præstantissimo mox perpetrando, aperiat. Ut verò ostenderet, opus moliri divinæ liberalitatis, ac magnificentiæ; opus exquisitissimæ absolutissimæque sapientiæ; opus supremæ potentie, singularisque bonitatis, quale est Incarnationis opus in utero Matris virgineo; uno eodemque tenore verborum tum Parentem sanctissimam, tum ejus Filium Deum, & hominem seipfos dilaudantes induxit in concilio Angelorum. Filius concionatur: Mariæ nomen ex thesauro divinitatis evoluitur, utriusque magnalia evulgantur: Angeli ea contemplantes, in admirationem rapiuntur, applaudunt, acclamant, ut opus perficiatur instant, ad Virginem ad-

Ad Incarnationis mysterium natura Angelica suffragata est. S. Bernard. Senens.

230 Hic expende quid nobis insuper subministraverit S. Bernardus Senensis Serm. 6. de septem verbis Mariæ ar. 3. c. 3. quod inscribit; Quod ad conceptum Filii Dei tota natura Angelica suffragata fuerit. Qua id ratione factum, ita floridè explicat. In hora, qua Gabriel ad Virginem missus est, omnes Angeli noverunt quod per Virginis consensum firmandum erat à Deo caput, & principium nostræ salutis, Christus scilicet in quantum homo. Ergo in illa hora tota Angelica curia totis desideris, & conatibus intendebat in Virginem suo ministerio adjuvandam ad tantum opus debite suscipiendum, ac perficiendum. Et hoc tam apud Deum totis viribus pro hac re orando, quam etiam in ipsam secundum proportionem Hierarchici ordinis influendo. Nam omnes Seraphim tale adjutorium suscipientes à Deo, illud influebant in Cherubim, Cherubim in Thronos, Throni in Dominaciones, Dominaciones in Virtutes, Virtutes in Potestates, Potestates in Principatus, Principatus in Archangelos, Archangelus in Angelos, Angeli in Gabrielem, Gabriel in Virginem benedictam. Ecce quo modo omnes Angeli in illo initio concilio suffragati sunt ad Dominicam Incarnationem.

Cant. 5. 1. Angeli ad epulas Dominicæ Incarnationis invitati. Honor.

231. Accedit Honorii existimatio, qui premeus illa divini sponsi Verba Ca. 5. 1. Comedite amici, & inebriamini charissimi, arbitratur ad cælestes spiritus hæc dici, quâ die Dominica Incarnatio peracta est. Nunc Angelos ad communes lætitiæ epulas invitavit: Comedite amici, & inebriamini charissimi: amici 2 quia

multum amant; charissimi, quia multum amantur. Hi nimirum de humani generis, quod in Adam perierat, restauratione, piè & sollicitè satagentes, conditorem sui assistebant jugiter interpellantes, quodam sancto familiaritatis ausu sic compellebant: Exsurge, quare obdormis Domine? Exsurge, & ne repellas in sinem. Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopia nostræ? diminutionis nostræ? Et inter nos tot loca vacua: sed da gloriam nomini tuo, & secundum æternum propositum tuum, imple tot locis indecenter debiscem numerum nostrum. Consonat Guilielmus eadem Cantorum Guiliel. Verba tractans, ita festivè: Incarnatus Dei Filius sponsus sit, & invitat Angelos ad nova gaudia: Comedite nunc festiviis panem vitæ, quo beatè vivitis: bibite usque ad sobriam ebrietatem vinum æternæ jucunditatis. Epulari enim, & gaudere vos oportet, ô amatores hominum; quia ecce factus sum mediator Dei, & hominum, &c. Bibite amici usque ad ebrietatem, hoc est, usque ad antiquæ perditionis humanæ oblivionem. Nolite amplius conquiri de vacuis sedibus ordinum vestrorum; ille suo tempore redemptis sanguine meo replebuntur. Satis abundè ostendunt quanta fuerint Angelorum vota, & desideria de incarnando Deo; quantoque perfusi sint gaudio ob perfectum Incarnationis opus. Magnus omnino nobilissimisque illis mentibus dies, quo id per Virginem Matrem perfectum est; quandoquidem dierum præstantiam, non ex solis circum terram latatione, sed ex operum in eis patrorum dignitate, metimur: atqui Incarnationis opere nullum dari quid perfectius, digniusque. En dies, qua habita illa concio est à Jesu, & Maria, evocato Angelorum conventu, & concilio.

Angelorum vota pro Incarnationis mysterio.

232 Ad Angelicos plausus, & acclamationes hilaritate plenas, illa Ecclesiastici nostri spectat: Exaltabitur, admirabitur, habebit laudem, benedicetur. hujusmodi enim lætæ, faustæque acclamationes excitari solent in theatris, publicisque conventibus, cum aliquid lætum, diuque desideratum excipitur; tunc clamare solent spectatores Feliciter, aut quid simile. Solemnes has Angelorum acclamationes, quibus Dominicæ Incarnationis mysterium, & œconomiam exceperunt, bellissimè expressit vates Zacharias c. 4. 7. Et educet lapidem primum, & exaquabit gratiam gratiæ ejus. LXX. vertunt lapidem hereditatis: Hebræi, lapidem capitis. De Christi Incarnatione sermo est, quem Pater æternus quasi absconditum, revelavit, & eduxit per temporariam generationem ex Matre Virgine. Unde Chaldaeus effert: Et emergit Christus, cujus ab æterno nomen dictum est. Christum ex Maria natum appellat lapidem primum, & capitis: quia primò missus est in fundamentum; & quia in summo ædificii capite locatus est. Jacto hoc lapide in fundamentum Ecclesiæ per Incarnationis mysterium, futuras acclamationes Angelorum faustas prædicit: nam pro exaquabit, est vox Hebræa tesuoth, quæ nomen est in plurali numero, & multi interpretantur clamores, acclamationes. Unde Pagninus, Varablus, Montanus, Rabbini, & alii vertunt: Educet lapidem primum cum clamoribus, cum acclamationibus, gratia, gratia illi: fausta omnia huic lapidi. Angelorum quidem istiusmodi plausus erant, clamores, & acclamationes solemnes, faustæ, lætissimæ; qua die Verbum carnem assumpsit; & respondent acclamationibus illis eorundem Angelorum, qui

Angeli festivi acclamationibus mysterium Incarnationis celebrant. Zachar. 4. 7.

qui nato Domino cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, &c. Hæc de Christo: seorsim de ejus Genitrice jam dico.

SECTIO XII.

Excepta Deipara ab Angelis cum faustis acclamationibus, quibus eam ab originario crimine immunem, & gratiâ semper plenam vociferantur.

332 Nulla se dabit opportunus statuendi immunitatem Virginis ab originali vitio, quam nos prætermittamus. Exaggerantes audio cælestes omnes spiritus (si in re tanta, ulla est exaggeratio) Mariæ gloriam: exaltatur ab illis, admiratur, laudem habet, benedicitur: postquam illud in primis exceperunt ex ore Virgineo: Ego ex ore Altissimi provivi: quod ad ejus purissimam Conceptionem, infra referemus. Certè, ni mea me fallit pietas, solemnes Angelorum acclamationes sunt, quibus Genitricem Deiparam immunem ab originaria culpa vociferantur, cognitâ ejus electione in Dei Matrem, hominum, & Angelorum Reginam, Dominam reparatricem. Huic nostræ cogitationi ut splendorem concilium, iterum rationis trutinæ mandato Zachariæ verba; quæ, ut vidisti, Angelorum acclamationes continent, exaltationes, admirationes, benedictiones; quæ etsi in Christum ferantur, ferri tamen in Virginem Matrem, vel ab instanti suæ Conceptionis sanctam, efficere nitur, atque contendam, novo forsam, & accurato studio, quod nulli non ardeat. Textum accipe sacrum ex cap. 4.

Zachar. 4.

V. 7. Quis tu mons magne, coram Zorobabel? In planum: & educet lapidem primum, & exaquabit gratiam gratiæ ejus.

V. 8. Et factum est Verbum Domini ad me dicens:

V. 9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus ejus perficiet eam: & scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos.

V. 10. Quis enim despexit dies parvos? & latibuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.

Aliorum interpretationes prætermitto. Illud unum pro argumento horum verborum, universim statuo; sub reædificandi templi Hierosolymitani metaphora, prædici à Vate restituentæ, ac renovandæ Ecclesiæ Dei fabricam; quam ab eximia petra incipiendam asserit; à Beata nempe Virgine Maria in gratia concipiendâ; cujus mystici ædificii architectum Christum agit Zorobabel; idem mysterium tam nomine, quam instrumento ipso architecturæ designans. Rem igitur totam per partes dissecabo, claritatis gratiâ.

S. I.

Mons magnus ædificio obstans, Demonarcha est, primæ superbiæ princeps, & superba generatione humana adversus homines intumescens.

333 Quis tu, mons magne, coram Zorobabel. In planum. Qui aptius hunc versiculum exfolvisse putant, sic scribunt Montem magnum ex re hostem appellat. Obstiterat arduum Sionis culmen, quominus templo primò extruendo justa pararetur arca. Nihil tamen arduum visum Salomoni primo Ar. P. Udeph. de Flores in Eccles.

chitecto, qui omnia latè explanavit, & templum magnificentissimum in ipso dejecti montis summo vertice construxit. Sic Torniel. in sac. Annal. Anno mundi 3023. ex Josepho 8. Antiqui. c. 2. & Paulus Palacijs in hunc Zachar. locum. Igitur aspero illi monti sacræ sese apponenti fabricæ confert Zacharias Sathanam, originariæ culpæ auctorem, & mystici templi extruendi adversarium: eumque nequaquam ædificationi impedimento futurum asserit: quia divini Spiritus industria, & virtute superbus ejus fastus dejectus, & in planum redactus, amplissimum ædificio spatium relinquet. Diabolum hinc montem nuncupari magnum, observant sacri interpretes cum S. Hieronymo, Ruperto, & aliis.

234 Addo, montis magni nomine allusum forsam ad Babylonem cum superbissimo ejus Rege. Jeremias enim in Babylonem invecus, montem appellavit, licet in loco humili, & plano esset sita, figuratè utique propter superbiam; quippe prima extitit superbiæ sedes ob superbam illam turrim c. 13. 16. Dæc Jerem. 14. Domino Deo vestro gloriam, antequam tenebret. 16. cat, & offendant pedes nostri ad montes caliginosos. Et c. 51. 25. Ecce ego ad te mons pestifer. Similiter Isaias 13. 2. Super montem caliginosum levate signum. Igitur per montem magnum apud Zachariam Babylonem intelligo; hujus verò symbolo humanam naturam interpretatur primigenia illa superbia insolentem, nec non superbissimum. Principem Babylonici regni mystici diabolum, totamque Babylonicam superbiam nihil impedituram, docet Vates, huic ædificio, quantumcunque tumeat, & in altum efferatur; redigetur in planum, coram sapientissimo Architecto Zorobabele, id est, alieno à Babel, seu à confusione, Christo nempe, de quo infra dicemus.

Babylon mons appellabatur.

Isai. 13. 2.

Per montem humanam naturam superbiam insolentem, describitur.

235. Ut hæc luculentiora fiant, duo observo: Primum ad illa verba; Quis tu mons magne? Pro monte, Hebræicè esse har, quod generationem sonat, & conceptionem, uti Hebræicè doctus Arias Montanus docet Isai. 57. 13. & Zachar. 6. 1. & ad hunc ejusdem Zachariæ versum. Deinde observandæ varietate illius versiculi translationes. In primis LXX. Interpretum in Codice Vaticano: Quis es tu, mons magne, qui ante faciem Zorobabel, ut corrigas? Sive ut est apud Cyrill. Alexan. ex versione nostri Jacobi Pontani: Quis es tu, mons ille magne, ante faciem Zorobabel, ut instares? Græcè καταρδυσου Hebræicè lemsur, à Verbo iasar, quod est complano, planum facio, dirigo, rectum placitum facio. Græcum item, instauro, erigo, feliciter rem conficio, ad felicem exitum perduco, rectum facio; quod omnibus virtutis numeris absolutum sit LXX. nomen inde ortum iasar verunt, rectum, bonum, justum: & interdum exasper mundum, Job. 33. 3. Jam ergo ex his observationibus prophetica sententiam licet in hunc modum accipere; Quid tu superba conceptio adversus Principem Zorobabelem summum superbiæ adversarium, te te extollis? Deprime inveteratum hunc fastum sordidâ generatione inolitum: depone innatæ conscientia humilitatis, deice, de turba insolentiæ verticem. Humanam alloquitur conceptionem plusquam Babylonica elatam superbiam, quam natura nostra jam inde à primo Parentum nostrorum conceptu pergebat suis foetibus ingenerare. Illic superbus humani generis

Mons superbus & superba generatio idem.

למסור ישר

generis hostis, veluti in Babylonica confusa superbiae arce, thronum statuerat; illic humano latè dominabatur imperio tyrannus potentissimus. Gestiebat ille illam etiam conceptionem in suam ditionem trahere, quam durissima tyrannide exemptam, ac liberam Gratia præservarat. Igitur nullum fuit superbiae jus futurum in Mariam, cui maturè Christus superbiae adversarius providerat: quam & à superbissimo hoste salvam, incolumem præmunerat. Tota illa confusa naturæ humanæ superbia in planum detumuit. Prima hæc conceptio superbiae expers: prima hæc generatio sancta humilitate sublimis condita. Apage igitur hinc superba generatio. Quid tu mons magne, elata, insolens conceptio, in conspectu Zorobabelis humillimi superbiam istam execrantis? *In planum. LXX. ut corrigas*, nempe in hac conceptione patritam illam communis conceptionis superbiam: ut *in stans* primigenam illam humilitatem, quam creator tibi indidit, cum ex terra te quondam terrestrem effinxit. Hic omnia correctæ, emendata, renovata, recta, iusta, munda.

236 Quò spectat Damascenicum illud Mariæ elogium ex Orat. 1. de Nativitate: *Primigena matris Evæ correctio*. Græcè *πρωτογενής*, id est, *emendatio, instauratio, reintegratio*. Sed signanter, non superbam, imò humillimam fuisse hanc Deiparæ Conceptionem, passim ostendunt sancti Ecclesiæ Doctores. Unum audi S. Bernardum in Deprecatione ad Virg. cuius verba probasse etiam voluit S. Bonaventura in Speculo c. 9. *Tu bellatrix egregia, primò cum, qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu & spiritum elationis Evæ, vertice humilitatis complosisti.* Spiritum elationis Evæ, nequissimum, ac superbissimum Luciferum, Dracone personatum, Bernardus intelligit: atque hunc complosum asserit Mariæ humilitatis vertice. Eleganter *vertice*: longè enim sublimior Mariana est humilitas, quam insolentissima luciferiana superbia. Sed Bernardum reddo Bernardo, atque sibimet ipsum committo Homil. 2. super *Missa est*, Deiparæ humilitatem Evæ superbiae opponentem. *Reddiur femina pro femina, humilis pro superba, &c. Etsi adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur: Ipsa comeret caput tuum. Cui hæc servata victoria est, nisi Maria? Ipsa procul dubio contrivit caput venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Nihil hoc clarius, nihil Bernardo dulcius. Consonat doctus Idiota cap. 6. Contemplationis: *Invenisti, Virgo Maria, gratiam cælestem; quia fuerunt in te ab originali labe præservatio, Angeli salutatio, Spiritus S. superventio, & Filii Dei conceptio. Sed qualiter, o felicissima B. Virgo, illas gratias invenisti? Certè, o super benedicta Virgo Maria, sicut Eva gratiam amisit per superbiam; sic tu è diverso gratiam invenisti, quam nunquam amisisti, quia futura eras omnium humillima. De tua humilitate scribitur: Quia respexit humilitatem ancilla sue. Originariam humilitatem Mariæ celebrat Idiota, superbiae Evæ oppositam; humilitatem originariam, quâ nunquâ à Maria amisam, esse docet.**

237 Non prætermittam Angeli testimonium productum à S. Brigitta in Ser. Angelico, ubi postquam c. 5. præservatam asserit Deiparam, continenter hæc subdit c. 6. quæ ob-

servanda valde sunt pro argumento hujus capituli de acclamationibus Angelorum Mariam immunem à prima labe vociferantium, vel ab initio sæculorum. *Clarè*, inquit, *innotuit Angelis, quando Dei aspectui adstabas increata, quod Diabolum, qui sua superbia seipsum condemnaverat, & ex malitia sua hominem perdidit, tu debebas tua humilitate sanctissima superare. Igitur quamvis Angeli vidissent hominem ad magnam miseriam corruiere, præ gaudio tamen divinæ visionis dolere nequiverunt, præsertim quia ipsis satis liquebat, quæ & quantitas cum tua humilitate, post tuam creationem, Deus facere dignaretur. Merito Beati Angeli, qui ob humilitatis præstantiam cælestes occuparunt thronos, ex quibus superbi cum Luciferò fuerant deturbati; merito, inquam, lætissimi describuntur, Mariæ humilitatem acclamantes; quippe quæ & Evæ, Adamiq; superbia esset correctura, atque contritura caput superbissimi Draconis, qui mons magnus videbatur tam vastæ molis, ut & sua, & aliorum opinione cælum fastigio putarentur attingere.*

§. I I.

Summus Architectus Christus D. Zorobabelis simbolo adumbratus, diligenter apparat Mariani adificii immunitatem.

238 Pleraque in litteris inspiratis nomina, prophetica esse, divino consilio ad id facta, ut futura mysteria prædicerent, multis constat sacris testimoniis. Quis enim Interpretum nescit, duo illa nomina *lo Ruchama*, & *lo Ami*, quæ Vulgatus vertit *Ose. 1. 6. & 9. absque misericordia, & non populus meus*, vaticinio fuisse consignatas, quo futura Israelitici populi repulsa ob suum Regem Christum extinctum, prædicebatur; maxime cum etiam Apostoli id tradiderint, Petrus Epist. 1. cap. 2. 10. & Paulus ad Rom. 9. 25. Quis ignoret Cant. 8. 11. *Baalhamon*, quod Interpretes reddunt, *eam, quæ habet populos*, multos alios designare, præter Hebræum, in quibus mysticam olim Evangelicus Salomon vineam, Ecclesiam nempe Christianam, esset habiturus; cum omnes id Patres mysterium intellexerunt, quibus expositores consonant penè univervi. Mitto binas illas meretrices dictas *Oola*, id est, *tabernaculum ejus*, & *Ooliba*, id est, *tabernaculum meum in ea*; quibus nominibus Ezechiel toto c. 23. expressit utramque Regiam, urbem Samarie superstitiosam, & religiosam Hierosolymam, expositores S. Hieron. Polychro. Theodor. & alii. Mitto duos Isaiæ filios, quos nominibus illustres Vates consignavit propheticus successus: altero c. 7. 3. *Schar Iasub*, id est, *reliquiæ convergentur*: altero c. 8. 3. *Maber sala has bas*, quod multis explicat Vulgatus; *accelera, spolia detrahe, festina prædavi*. Aptè utriusque pueri mater prophetissa appellatur: & pueri dicuntur dati divinitus parenti in signum & portentum Israel; quia videlicet dum mater pueros ederet, prophetasse putanda est, tum ejus filii suis ipsis nominibus magna vaticinati sunt: ille reliquiarum Israelitarum salutem, hic eam ipsam salutem propediem futuram. Mitto meditatam nomen Babylonici Regis, ab Jeremia excogitatum, quo in ipsam evertebat urbis confusionem placuit illudere c. 25. 26. *Rex Sefac bibet post eos*, nempe divinæ iræ calicem. Data enim opera eligat anagrammate, pro

Multa in sacra Scriptura nomina prophetica.

Ose. 1. 6.

Cant. 8. 11.

Isai. 7. 3.

Iere. 25. 26.

pro litteris nominis *Babel*, quæ ferè primæ erât juxta rectum Hebraici alphabeti ordinem, extremas suffecit Vates incipiens ab ejusdem alphabeti fine. Quo artificio id præstitit, ut tunc *Babelis* excindendæ prophetiam non ita aperta redderet, ut Barbarum Regem adversus captivum Babylone populum provocaret; tum ipsam evertendæ *Babelis* confusionem certissimam significaret, in qua omnia fusque deq; futura fuissent, non secus atque nomine *Sefac*, omnia *Babelis* elementa perturbato ordine mutarentur. Sic S. Hieron. Maldonatus, Casrius, Sanctius, Cornelius, & alii. Concludo itaque observandum hunc esse sacræ Scripturæ Canonem, quo doceamur in propriis sæpè nominibus, & mysteria posita, & vaticinia.

Nomen Zorobabelis propheticum.

239 Hac mihi observatione ad *Zorobabelis*, vaticinium explicandum, viam consultò præmunivi. *Zorobabel* nomen dum in Aggæo, & Zacharia legunt Interpretes, nobilissimumque Principem audiunt Judaici populi Babylonica servitute soluti ductorem, templi Hierosolymitani, divinæq; totius religionis instauratorem, & promotorem; in eam utiq; mentem conspirant, ut & illustrem Christi Domini proavum, similia, sed longè majora ipsiusmet Christi gesta prælusisse doceant, & in iis ipsis præludis nomen quoq; *Zorobabelis* propheticum fuisse asserant. Inde S. Hieron. in cap. 1. Aggææ accurato studio ejusce nominis notiones disquirunt. Primò interpretatur *Zorobabel*, id est, *ortus in Babel*, quia reverà ibi natus: sed juxta altiore intelligentiam, inquit, *Domini nostrum Jesum Christum sonat, quia ipse quoque natus sit in confusione hujus sæculi*. Secundò, *Princeps de Babylone; iste magister, seu major de Babylone*. Ut iste propterea ortus in Babylone sit, ut eos, qui erant in Babylone, reduceret in terram repromissionis, de qua captivi abducti fuerant: & his, qui erant in vinculis, diceret: *Exite, & qui sedebant in tenebris: Illuminamini. Isai. 49*. Sic Hieronymus. Itaque utraq; etymologia contendit S. Doctor *Zorobabelem* tam nomine, quam re Christum adumbrasse Regem; sicut Jesus Sacerdos filius Josedech, & socius *Zorobabelis*, eundem retulit Christum, quâ Pontificem.

S. Hieron.

Zorobabel & nomine & re Christum adumbravit.

Nominis Zorobabel etymologia.

S. Hieron.

S. Beda.

S. Bonav.

Pagnin.

Complut.

240 Philo Alex. lib. de Interpret. nominum Hebr. edito à S. Hier. *Zorobabel* interpretatur, *magister Babylonis*, sive *aliena translatio*, sive *ortus in Babylone*. Idem Hieron. in iis nominibus, quæ huic libello addidit in novo testamento, *Zorobabel*, inquit, *ipse Magister Babylonis, seu confusio*. S. Beda lib. de eisdem, *Zorobabel aliena translatio, vel ortus in Babylone, seu iste Princeps translationis, aut iste magister conversionis*. Ab his didicit S. Bonav. Ser. 4. in Dom. 4. Quadrag. *Zorobabel, id est, Magister translationis*. Sanctus Pagninus in libello Interpret. nomi. postquam interpretationem S. Hier. in Agg. retulit, addit: *Zorobabel, id est, dispergitur confusio*; aut *dispersio confusio*: vel expressio, aut *calcatio, ventilatio, alienatio confusio*. Complutenses in lib. de Interpret. eorumdem nomi. qui circumfertur tam cum ipsorum Bibliis, quam in Regio apparatu, explicant, *Zorobabel, alienus à confusione, aut dispersio confusio*. Alii interpretantur, *alienus à veritate*. Ego quidè interpretationem illorum, qui *Zorobabel* exponunt *alienum à confusione, seu permissione*, simpliciore dico, & ex Hebræis, atque Chaldaicis fontibus haustam; nam *zor* est *alienus*, & *babel* est *confusio*: & vox *zar*

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Chaldæis est *recedere, declinare, alienare*. Quasi dicatur, *recedens, vel alienus à confusione*; sive *mimicus aut hostis confusio*: nam *zor* interdum LXX. vertunt *hostem*. Prov. 6. 1. Aptè utraque interpretatio in nomen hoc propheticum cadit, sive factum id fuerit, ut Ecclesiæ Evangelicæ, quod est sacrum Dei templum, prædiceret œconomiam; sive ut prius B. Virginis Deiparentis vitam omnem vaticinaretur; nam utriusque fabricam, Mariæ, & Ecclesiæ à *Zorobabele* in hoc vaticinio prælusam fuisse, autumo. Igitur *Zorobabel* Christum adumbrans primò significat ipsum in utroque Mariæ, atque Ecclesiæ ædificio alienissimum ab omni confusione fuisse. Secundò *Babylonis* fuisse magistrum, qui mysticam hanc Babylone sua evangelica sapientia informaturus esset, omnemque confusionem docendo propulsaturus, eam maxime, qua vel in Ecclesiam quippiam inducere, vel ad Virginem involvere alii voluissent. Atque ut Ecclesia interim fileatur, cujus exemplar extitit Maria, rem omnem in Deiparæ structura exploremus.

241 Merito igitur Architectus ab omni confusione alienus eligitur; nam templum ordine maxime constat, vel Ezechiele Architecturæ peritissimo teste de Mariano Templo agente c. 43. 11. ubi sæpè idem nomen *sturath* repetit, quod *ordinem* significat. Vulgatus variè reddit, *figuram templi, descriptionem, ordinem*. Quasi templi forma, & descriptio non aliter nuncupari merito debeat, quam *ordo*, quo tota solum consistat ejus architectura. Hinc Xenophon lib. 1. de dictis, & factis Socratis: *Lapides, lateres, ligna, & regulæ inordinate quidem projecta, ad nihilum utilia sunt; cum verò ordinantur deorsum, ac sursum, tunc domus bene constructa dicitur*. Et Vitruvius lib. 1. de Architectura c. 2. ita scribit: *Architectura constat ex ordine, quæ Græcè τάξις dicitur; & ex dispositione; hanc autem Græci διατάξιον vocant; & eurhythmia, & symmetria, decore, & distributione, quæ Græcè οὐσυνολογία dicitur*. Primam, ac nobilissimam architecturæ naturam, *ordinem* esse docet: huic veluti proprietates assignat dispositionem, symmetriam, eurhythmiam, seu commodulationem, decorem, distributionem. Porrò *ordinem* sic definit Vitruvius: *Ordinatio est modica membrorum operis commoditas separatim, univèrsæque proportionis ad symmetriam comparatio*. id est, moderata partium aptitudo, membrorumque omnium ad debitam commensurationem comparatio. Hinc illas veluti affectiones, & proprietates oriri dixerim, dispositionem, proportionem, commodulationem, decorem, distributionem. Et lib. 2. c. 8. cum de generibus structuræ agit, illam præfert, quæ ordine confet: *non acervatim, sed ordine structum opus, poterit esse sine vitio sempiternum*.

242 His positis; peccatum originale, totius humanæ naturæ inordinationis seminarium esse, imò ipsissimam humanæ naturæ confusionem, rerumque omnium tumultuariam missionem, per quam pulcherrimus ille corporis, & animæ, omniumque facultatum utriusque deservientium ordo fuit obturbatus, disertè docent S. Thomas 1. 2. q. 85. ar. 3. 4. & 5. & S. Greg. Theologus Orat. 26. quæ est de Moderatione in disputatione servanda; quorum verba supra recitavi numero 188. Subinde S. Aug. lib. 12. de Civit. c. 8. universa hominis vitia

Zorobabel, id est, alienus à confusione architectus pro ordinatissima Mariæ adificii architectura.

Xenophona

Peccatum originale exitus humanæ naturæ inordinatio & confusio.